

SYMBOLA

AD DOCTRINAM

DE FURTO PER EFFRACTURAM COMMISSO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRIS IURECONSULTORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI

PRO SUMMIS

IN UTROQUE IURE

HONORIBUS

RITE ADIPISCENDIS

DIE XIII. MENSIS MAII A. MDCCCXLVIII.

PUBLICAE DEFENSURUS EST

AUCTOR

IOANNES HENRICUS JUCKER,

OBERSTRASSENSI-TURICENSIS.

TURICI.

TYPIS ZÜRCHERI ET FURRERI.

MDCCCXLVIII.

SYMBOLA

AD DOCTRINAM

DE FURTO PER EFFRACTURAM COMMISSO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRIS IURECONSULTORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI

PEO SUMMIS

IN UTROQUE IURE

HONORIBUS

RITE ADIPISCENDIS

DIE XIII. MENSIS MAII A. MDCCCXLVIII.

PUBLICAE DEFENSURUS EST

AUCTOR

IOANNES HENRICUS JUCKER,

OBERSTRASSENSI-TURICENSIS.

Opponentibus: DIETH. IAC. GIMPERT, CAND. IUR.
FRIDER. LOCHER, DR. IUR.
IO. IAC. TRACHSLER, CAND. IUR.

TURICI.

TYPIS ZÜRCHERI ET FURRERI.

MDCCCXLVIII.

SYMBOLE

AD DOTHIAN

DE FURTO PER EXTRACTUM COMMISSO

DISSERTATIO IURIS

QUAE

CONFERRE ET ACCEPTARE

ILLUSTRI IURISCONSULTUM ORDINE

IN ALIA

Scire leges non est verba earum tenere,
sed vim ac potestatem.

Celsus in L. 17. D. de legg.

IN UTROQUE IURE

DOCTORIS

ET IURISCONSULTI

DIE XII MESEIS ANNI A. MDCCLXXIII

PRIMUM PUBLICATIONE

AVCTOR

IOHANNES HENRICUS JACOBUS

ORDINIS IURISCONSULTI

OPPONENTIBUS: HIERONIMUS JACOBUS, CANTUARI

FRANCIS JACOBUS, CANTUARI

IO. JAC. JACOBUS, CANTUARI

THESIS

ETIAM AVCTORI ET AVCTORI

AVCTORI

PIAE MEMORIAE

IO. CONRADI JUCKERI

NOTARII QUONDAM PUBLICI

PATRIS HEU NIMIS MATURE DEFUNCTI

FIVE MEMORIAL

NO. 10. DOTTARDI JUDICIAL

THE JUDICIAL SYSTEM OF THE UNITED STATES
OF AMERICA
BY J. DOTTARDI JUDICIAL

ET

PATRIS HUIUS MUNDI DEBENT

VIRO

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO PRAECEPTORI DE SE MERITISSIMO

GUSTAVO GEIB

IURIS UTRIVSQUE DOCTORI ET ANTECESSORI TURICENSI

HASCE LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quum satis multa de causa qualificationis furtorum eorum, quae art. 159. C. C. C. tractantur, scripta ac disputata sint, negandum tamen non est, multa etiamnum de eadem re scribi disputarique posse. Quam ob rem adductus sum, ut quaestioni, quamvis, si rem omnino spectas, levi operam navarem, eamque potissimum scripto meo inaugurali tractandam eligerem. Quod ut facerem, maxime permotus sum problemate, quod duce praeceptore de me meritissimo, antecessore Geibio, aestate 1845., practico ad ius criminale spectanti quum interesssem, summo cum studio solvi. Nunc quum ea, quae tunc breviter dumtaxat et quasi in transitu significare potui, paullo diligentius et accuratius disserere coner, non is sum qui credam, hac opella mea iurisprudentiae, praesertim iuri criminali, aliquod incrementum afferri posse, sed feci, quia res, nunquam adhuc satis diligenter pertractata, digna mihi visa est, de qua subtilius ageretur. Atque ob id ipsum, quod persuasum habeo, primas iuvenis litteras parum aptas esse ad ipsam litterarum ubertatem augendam, spero in illis diiudicandis homines peritissimos veniam tenuitati duros eaque clementia erga me usuros, quae viros litterarum laude claros decet, confido.

His dictis hoc quoque silentio non praeteribo, multo melius me id quo mihi propositum fuerat, explicaturum

fuisse, si Geibii antecessoris disputationem mirificae subtilitatis, libro „*Archiv des Criminalrechts*“ an. 1847. pag. 352—389., 521—566., sicque inscriptam: „*Beitrag zur Erklärung des Art. 159. der P. G. O. Was heisst Behaltung?*“ — inspicere mihi licuisset. Sed propterea, quod illa disputatio tum demum publici iuris facta est, quum dissertatio mea scripta illustrissimo iureconsultorum ordini examinanda iam tradita erat, in iis quae ibi scripseram subsistere necesse erat, ac satis habere, lectores ad illam disputationem ablegare. Neque dubito, quin egregia diligentia, qua auctor illustrissimus quaestionem illam pertractat, magno omnes gaudio sit affectura.

Antequam huius praefationis finem faciam, licet mihi hoc loco praeceptori de me meritissimo, cui hunc libellum sacrum esse volo, quique in his meis litterarum primitiis humanissime consilio suo me adiuvit, publice gratias agere quas possum maximas.

Scripsi Turici, die X. mensis Maii A. 1848.

Io. Henr. Jucker.

SYMBOLA

AD

DOCTRINAM DE FURTO PER EFFRACTURAM COMMISSO.

In libro, cui inscriptum est: »*Sammlung merkwürdiger Rechtsfälle Bayerns*« ¹⁾ Sartorius narrat, furtum vini commissum esse dolio terebra aperto, hoc modo:

Adolescens quidam, faber lignarius Wirtembergicus, in oppidulo Bavariae opifici hanc artem factitanti operam suam locaverat, habitabat autem non una cum domino, sed in domo viduae opulentae, quae cellam suam, ianua duplici munitam, satis abunde vino instruxerat. Huius rei non ignarus ille adolescens mox consilium cepit parvula vini copia genio indulgendi. Itaque, quum qui domum incolebant cubitum ivissent, nocturno tempore, nemini visus, ad cellae ianuam se contulit, eamque celeriter, strepitu nullo facto, foribus repressis aperuit. Laternae furtivae, quam secum habebat, ope mox in fronte dolii notam, creta inscriptam, vini cuiusdam quod nobilissimum esse sibi persuaserat, conspexit, cuius ille statim cupidissimus evasit. Sed quum in dolio neque os,

¹⁾ Ediderunt F. A. v. Zu-Rhein et J. B. Sartorius. Bd. I. (Erlangen, 1830.) Abb. XVI. p. 430. — 435.

neque epistomium esset, quo vinum effunderetur, terebra, quam in angulo cellae repererat, arrepta, in tabula dolii lateraria inferiore foramen effecit, eoque modo ollam vini nactus est. Qua re perpetrata, foramen illud ope parvuli epistomii ad id ipsum confecti obturatum, dein candela sebo illitum est. Eodem dolo faber noster lignarius identidem usus, tandem in manifesto facinore est deprehensus, et causa cognita, delictum ingenue fassus est.

In qua re diiudicanda, quum dici haud videretur, communi ac vulgari sensu furtum violentum ac per effractionem commissum esse, propterea scilicet, quod cellae ostium nulla adhibita vi reclusum esset, iudices id solum sibi spectandum censebant, num forte quacunque alia de causa furtum qualificatum statuendum sit.

Leges adhibendae haec erant:

1. Lex Bavarica de furto d. 25. Martii 1816., quae sub titulo: „*Von ausgezeichneten Diebstählen*“ haec praecipit:

„*Der Diebstahl ist ohne Rücksicht auf den Betrag des Entwendeten ein Verbrechen, wenn der Dieb, um stehlen zu können, in ein Haus oder den dazu gehörigen geschlossenen Hofraum, oder in ein darin stehendes Gebäude eingebrochen ist, oder wenn er die darin befindlichen Thüren oder Behältnisse erbrochen, oder aufgesprengt, oder daran die Schlösser mit Instrumenten, z. B. Sperrhacken, Dietrichen, nachgemachten Schlüsseln, oder auf andere unerlaubte Art, oder auch mit den rechten Schlüsseln, welche er sich vorher heimlich oder mit List verschaffte, geöffnet hat. Das Einsteigen und der Einbruch in einsam stehende unbewohnte Gebäude, so wie das Erbrechen der darin, oder im Freien stehenden Behältnisse und*

das Oeffnen der hierin befindlichen Schlösser ist als erschwerender Umstand des einfachen Diebstahls zu betrachten.“²⁾

2. Lex Bavarica de furto d. 31. Ianuarii 1817. supplementi loco lata, in qua haec sunt:

„Jede Gewalt, ohne Unterschied des Grades, ist hinreichend zum Begriffe des ausgezeichneten Diebstahls. — Angriffe auf die häusliche Sicherheit durch Verletzung der gewöhnlichen innern oder äussern Verwahrungsmittel ist das characteristische Merkmaht des ausgezeichneten Diebstahls. Z. B. Einbrechen oder Auslösen einer Fensterscheibe ist dem Aufbrechen einer Thüre gleich zu rechnen.“³⁾

Utriusque legis praeceptis freti iudices ita sententiam tulerunt, ut furtum insigne minime statuendum esse contenderent, sed simplex, sive, ut aiunt, commune furtum esse dicerent. Hanc vero sententiam his fere rationibus firmare sunt conati. Vocem »receptacula« (»Behältnisse«) tum demum in notionem furti insignis quadrare, si illa hoc consilio exstarent, ut quae iis continentur tuta ab aliis redderentur, qualia sunt exempli gratia armaria clausa. Hanc enim legis esse vim, ut ostendat, periculum hominem esse eum, dataque opera egisse, qui quae suo consilio obstarent, superare ac domesticam securitatem nefario facinore turbare studeret. Iam si quis in hac sententia, quam legislatori obversatam esse vere dixeris, acquiescat, facile inde colligi posse, dolium non pro eiusmodi »receptaculo« (»Behältniss«) habendum esse,

²⁾ Cf.: F. W. Doppelmayr, Sammlung der Erläuterungen und Rescripte über das Strafgesetzbuch für das Königreich Bayern. 3. Aufl. (Nördlingen, 1836.) p. 53.

³⁾ Doppelmayr, l. c. p. 56.

quo aperto insigne furtum statuatur; quoniam vinum doliis infundatur, non ut ab aliorum manibus furtivis tutum sit, sed potius, quia aliter servari, et, salva bonitate, vasis apertis collocari non possit. Ergo dolium non esse subsidium custodiendi quaslibet res („*Verwahrungsmittel*“), ut securitati domesticae prospiciatur, sed subsidium servandi („*Aufbewahrungsmittel*“), vini gratia constitutum.

Haec sententia Sartorio, viro doctissimo, qui una cum F. A. v. Zu-Rhein librum supra memoratum edit, occasionem prae-buit, et accuratius et diligentius ea de re disserere. Iudicum opinionem falsam esse putans, atque, ut sibi persuadet, legis praecepta strictissime observans, in diversas partes abit, existimans, dolium re vera esse receptaculum („*Behältniss*“) ac subsidium custodiendi („*Verwahrungsmittel*“), ideoque terebratione eius ac profusione vini, quod illo contineatur, sine ulla dubitatione crimen furti insignis committi. Rationes autem, quibus Sartorius et ad firmandam sententiam suam et ad adversariorum infringendam utitur, gravissimae hae sunt. Lege supra exscripta differentiam inter receptacula ad custodiendum aliquid, et ad simpliciter asservandam constituta haud agnoscere; atque his ipsis rebus, quum lex non distingueret, ne iudici quidem distinguere licere, quam regulam communem multo magis in iure criminali, quo iudicis sit, stricte semper interpretari, esse custodiendam. Praeterea, quod iudices affirmaverint, vinum hoc uno consilio, ut conservetur, non ut simul tutum sit, doliis infundi, id nullo modo probari posse, quum quivis vini possessor, praeter illud, et hoc certe consilium habeat. Dolia autem, cadi et lagenae quum sola sint subsidia vini custodiendi, terebratione dolii existimandum esse dome-

sticam securitatem impugnata, eoque magis si, ut nostra in causa accidit, dolium solito munitius, ore scilicet et epistomio carens, repertum sit. Ipsum quidem furis studium nocendi ac periculum securitati domesticae ab eo illatum causam esse, cur gravius in eum animadvertatur; sed si qui callide effecto dolii foramine, eodemque diligenter occulto, integrum dolium, inscientibus ceteris, paulatim vino spoliare non dubitet, hunc hominem facinus perpetrasse aeque consultum et cogitatum ac periculosum.

Iam si quis ex nobis quaerat, utri harum sententiarum nosmet ipsi adstipulemur, non dubitabimus respondere, iudicum sententiam nobis verioremi videri. Quod ut argumentis idoneis firmemus, primum omnium vis vocis „*Behältmiss*“ (receptaculi) in lege obvenientis rite constituatur necesse est: quae quidem res vix aliter fieri poterit, nisi prius cognitum perceptumque habuerimus, qua tandem causa legislativa haec furtorum species, quae furtum ex receptaculis dicuntur, graviore, si cum aliis comparantur, poena afficiantur, et cur omnino in furtorum genere, quae vocantur qualificata, ponantur. Ad hanc quaestionem bene solvendam imprimis eae rationes spectandae sunt, quae iam antiquioribus temporibus, ac maxime de constitutionis criminalis Carolinae praeceptis obtinuerunt; ideoque ante omnia examinemus oportet, quam de causa iam constitutionis Carolinae temporibus in furti speciem, de qua hic quaerimus, gravior poena constituta sit. Haec vero quaestio satis expediri explicarique non poterit, nisi tota de periculosis quae vocantur furtis doctrina, quam exhibet articulus 159. C. C. C., paulo diligentius evolvetur, simulque obiter saltem ea quaestio pertractetur, quo

loco furta quae articulo laudato memorantur, committi possint. Ad hanc quaestionem quum respondere conamur, ultro ad celebrem illam controversiam de vi et significatione verborum „*Behausung* oder *Behaltung*“ Carolina lege usurpatorum deducimur, qua de re ad nostra usque tempora tantopere disceptatum est. Ac profecto repetita huius controversiae disputatio et novum, quamquam, ne longius a proximo dissertationis nostrae fine aberremus, paene desultorium et fragmentarium tentamen, ipsam vocabuli „*Behaltung*“ vim et significationem rite constituendi, ex eaque significatione veram propriamque totius illius art. 159. rationem deducendi, non alienum sit ab hoc loco, quum propterea quod hoc uno modo veram legum Bavaricarum supra commemoratarum sententiam erui posse diximus, tum quod cum laudatis iuris Bavarici praeceptis omnes leges particulares temporum recentiorum ac recentissimorum mirifice consentiunt; quo fit, ut non solum Bavarici, sed etiam communis, ut nunc est, iuris criminalis, sive omnium legum nostrarum recentiorum maximi interesse putandum sit, totam illam litem recte vereque dirimi, utrum terebrato scilicet dolio furtum per effracturam committatur necne.

Prima igitur, cui respondeatur, quaestio haec est: Quae est vis vocabulorum „*Behausung* oder *Behaltung*“ art. 159. C. C. C. usurpatorum, sive, quum prioris vocabuli vis minime ambigatur, quae vis est vocabuli „*Behaltung*“? Hoc complures scriptores ita interpretantur, ut cuncta loca ad custodiendum aliquid idonea, inprimis e. g. cistas, arcas, riscos, alia id genus, intelligenda esse dicant. Quorum e numero inter antiquiores sunt

Remus⁴⁾, Carpzovius⁵⁾, Kressius⁶⁾, Boehmerus⁷⁾, Quistorpius⁸⁾, Walchius⁹⁾; ex recentioribus maxime Almendingen¹⁰⁾, Salchovius¹¹⁾, Martinus¹²⁾. Hos initio ipse Feuerbachius secutus¹³⁾, postea tamen, Grolmani potissimum expositione: „*Ueber den Grund der härteren Strafe des gefährlichen Diebstahls*“¹⁴⁾ permotus, sententiam sibi mutandam duxit¹⁵⁾. Ex his omnibus quos modo laudavimus scriptoribus Remus fere solus dignus est, qui paulo diligentius consideretur, quippe cuius auctoritas aliquantum temporis et theoriam et praxin velut imperio tenuerit, et cuius sententiam, vel nostris temporibus, e fontibus quasi ductam, authenticam quandam Ca-

4) *Nemesis Karuli* V. Art. 159.

5) *Practica nova rerum crimin.* qu. 79. nr. 38.

6) *Commentatio in constit. crim. Caroli V.* (Hanoverae, 1786.) ad Art. 159. §. 1. nr. 3.

7) *Meditationes in constit. crim. Carolinam* (Halae, 1774.) ad Art. 159. §. 4.

8) *Grundsätze des deutschen peinlichen Rechts.* 6. Ausg. §. 349.

9) *Glossarium germanicum interpretationi C. C. C. inserviens.* (Ienae, 1790.) p. 200. seqq. s. v. *Behaltung, Behausung.*

10) *Bibliothek für die peinliche Rechtswissenschaft und Gesetzkunde.* Th. II. St. 1. p. 371. 372.

11) *Systematische Entwickelung des Verbrechens der Entwendung nach den gemeingültigen Strafgesetzen Deutschlands.* (Erfurt, 1806.) p. 117.

12) *Lehrbuch des teutschen gemeinen Criminalrechts.* 2. Ausg. (Heidelberg, 1829.) §. 154. Not. 12.

13) *Betrachtungen über den 159. Artikel der P. G. O. in der Bibliothek für die peinl. Rechtsw. und Gesetzk. Th. II. St. 1. p. 130.*

14) *Bibliothek für die peinl. Rechtsw. und Gesetzk. Th. I. St. 2. p. 57. seqq. — Cf. etiam: Klien, Revision der Grundsätze über das Verbrechen des Diebstahls.* (Nordhausen, 1806.) p. 413. 414.

15) *Feuerbach, Lehrbuch des peinlichen Rechts.* 14. Ausgabe. (Giessen, 1848.) §. 335. Not. 1.

rolinae interpretationem habere consueverint. Iam quum Remus in convertendis illis „*Behausung oder Behaltung*“, vocabulis „fores arcamve“ usus sit, non dubitabant nostrates, aut certe magna eorum pars non dubitabat, quin art. 159. C. C. C. etiam ad simplices cistas, arcas, riscos, armaria cet. referrent. Sed re diligentius perpensa, ut nunc quidem a recentissimo quoque nobilissimoque scriptore conceditur, ipsi Remo auctoritatem tantam et, ut ita dicam, canonicam minime omnium tribuendam esse reperies. Etenim, ut Waechterus inprimis ostendit¹⁶⁾, Remus in convertenda Carolina omnino id sibi propositum habebat, ut ex Romano iure ea explicanda, imo ut ipsum ius Romanum in eam transferendum, itaque etiam vocis „*Behaltung*“ sententia ex Romanorum legibus, praecipue ex lege 22. §. 1. D. de furtis¹⁷⁾, interpretanda sit. Talem vero sentiendi rationem perversam esse, imo totam illam quasi Romanomaniam, qua iureconsulti Germanici seculi XVI. laborarunt, foedissimum errorem, quo nihil excogitari possit absurdius, esse iudicandum, non est cur multis probemus. Quum igitur Remus Carolinam non per se ipsam, et ratione indolis iuris Germanici habita, sed ex iure alieno, e fragmentis puta legum Romanarum, interpretandam sibi proposuisset, huius scriptoris sententiae vix quidquam tribuendum est, et haec quoque eiusdem opinio, sicut in plerisque aliis, quas affirmat,

¹⁶⁾ *Neues Archiv des Criminalrechts. Bd. XII. p. 89.*

¹⁷⁾ Si eo consilio arca refracta sit, ut uniones puta tollerentur, hique furti faciendi causa contrectati sint, eorum tantummodo furtum factum videri; quod est verum, nam ceterae res, quae seponuntur, ut ad uniones perveniatur, non furti faciendi causa contrectantur.

rebus fere non digna est, quae respiciatur. Profecto igitur non, ut quibusdam placuit¹⁸⁾, omnium Carolinae interpretum optimus Remus, sed, ut ita dicam, pessimus vocandus videtur¹⁹⁾.

Atque haec quidem opinio, vocabulo „*Behaltung*“ cistas, arcas cet. significari, nunc fere ab omnibus reiecta et explosa est. Cuius in locum alia nunc successit opinio, nimirum illud vocabulum, pariter atque id, quod praecedit „*Behausung*“, aedificium significare, ita tamen, ut hoc aedificia habitata, quae ab incolis re vera tenentur, illo aedificia incolis vacua, quo ex genere sunt horrea, receptacula mercium, casae hortorum cet. intelligi velint. Haec sententia iam priori tempore ab primo qui Carolinae operam suam navavit, Goblero defensa est²⁰⁾. Recentissimo vero tempore acerrime et sagacissime eam tuitus est Grolmanus²¹⁾, atque hac ipsa Grolmani expositione factum est, ut haec sententia non solum obtinuerit hodie, sed fere unica putanda sit²²⁾. Et, verum ut fateamur, magnopere arridet, ac si art. 159. C. C. C. per se ipsum,

¹⁸⁾ Kleinschrod, *Abhandlungen aus dem peinlichen Rechte und peinlichen Prozesse*. (Erlangen, 1797. seqq.) Th. II. p. 122.

¹⁹⁾ Cf. etiam: Geib, im Arch. d. Crim. R. 1845. p. 185.

²⁰⁾ Caroli V. de capit. iudic. const. in Latin. vers. Art. 159.

²¹⁾ Vide supra not. 14. p. 7.

²²⁾ Wächter, *Lehrb. des Strafrechts*. (Stuttgart, 1825, 1826.) Th. II. p. 304. 305. — Bauer, *Lehrb. des Strafrechts*. 2. Ausg. (Göttingen, 1833.) §. 251. — Henke, *Handb. des Criminalrechts und der Criminalpolitik*. (Berlin, 1823—1838.) Th. II. p. 434—436. — Abegg, *Lehrbuch der Strafrechts-Wissenschaft*. (Neustadt a. d. O. 1836.) p. 475. — Heffter, *Lehrb. des Criminalrechts*. 3. Aufl. (Halle, 1846.) §. 502. Not. 3. — Marezoll, *das gemeine deutsche Criminalrecht*. (Leipzig, 1841.) p. 397. Not. 3. — Hammer, *Archiv des Criminalrechts*. 1845. p. 425. 468—477.

neglecta scilicet ratione nexus cum iure antiquiore, spectatur, valde eam pro vera habere adduceris. Sed considerato, ut fieri oportet, hoc ipso nexu, aliter res re habebit, et hanc quoque sententiam non minus falsam, quam superiorem reperiēs.

Vis vocabulorum „*Behausung und Behaltung*“, ut nos quidem arbitramur, alia neque est, neque esse potest, quam domus et area („*Haus und Hof*“), vel, ut planius rem eloquamur, persuasum nos habemus, art. 159 C. C. C. tum demum valere, quum furtum intra aliquam regionem domicilio humano destinata commissum est, nec refert, utrum in ipsa sede ac domicilio, an in aliis locis ad illam pertinentibus, sive in eo, quem patrio sermone „*Hof*“ vocamus, perpetratum sit. Quam sententiam ita optime firmabimus ac stabiliemus, si in memoriam nobis revocaverimus sanctitatem illam et inviolabilitatem domus omniumque partium necessario ad illam pertinentium, quae totius iuris Germanici antiquioris velut fundamentum est; sive, id quod contendimus probatur eo, quod in omni Germanorum iure antiquiore inprimis nefaria et singulari poena digna res existimata est, non domum („*Haus*“) tantum, sed et aream („*Hof*“), quae cum illa coniuncta est, violasse. Ita vero antiquioribus temporibus sensisse Germanos, supervacuum fortasse videtur argumentis probare. Illud enim, quo omnes iuris reique publicae Germanicae partes velut imbutae sunt, praeceptum ac velut primaria lex de sanctitate et inviolabilitate domus, illa scilicet ratio nunquam non apparens, ex qua omnia delicta, quibus sanctitas illa violabatur, graviore poena esse afficienda sibi persuaserant, adeo inter omnes constat,

imo a nemine in dubium vocatur²³⁾, ut ineptum videatur, propriis eam firmare argumentis ac testimoniis. Hoc solum aliquot testimoniis tueri liceat, rationem illam de sanctitate et inviolabilitate domus non angustis ipsius domus finibus contineri, quum potius in omnibus omnino quae ad domum referuntur partibus, sive, ut modo diximus, in area („Hof“) quoque valeat. Cuius rei optimum documentum petimus ex delicto, cuius nomen est „Heimsuchung“. — Sic in iure civitatis Spirensis anni 1328. §. 36. haec leguntur²⁴⁾:

„Das heisset heimsuche, da man freveliche in jemans hoff oder huss gienge unde jemand dinne verserte.“

Pari modo ius civitatis Monacensis anni 1347. art. 13. interpretatur²⁵⁾:

„Waer auch, daz ainer den andern anclagt, er hab in haimesuocht mit gewaffenter hant in seinem haus und hof“ cet.

Nec minus diserte codex pagi Davosensis annorum 1646. et 1695. pag. 12. effatur²⁶⁾:

„Welcher den andern zu hus oder hoff suochte fresentlich“ cet.

Ex his quos attulimus locis quum satis constet, de

²³⁾ Cf.: Walch, Diss. de pace domestica, in Opusc. (Halaë, 1785. seqq.) Tom. II. p. 116—137. — Boehmer ad Carpzov. P. R. C. qu. 40. obs. 2. — Wilda, Geschichte des deutschen Strafrechts. (Halle, 1842.) Bd. I. p. 952—959.

²⁴⁾ Lehmann, Chronica der freyen Reichs-Statt Speyer. (Frankfurt, 1662.) p. 328.

²⁵⁾ Edidit Auer (München, 1840.)

²⁶⁾ Landbuch der Landschaft und Hochgerichtsgemeinde Davos. (Chur, 1831.)

omnibus criminibus, praecipue vero de crimine „*Heimsuchung*“, duo illa vocabula „*Haus*“ et „*Hof*“ plane eandem vim eundemque effectum habuisse, sive, ut aliis verbis utar, nihil ac ne minimum quidem interfuisse, num in „*Haus*“ an in „*Hof*“ patratum sit „*Heimsuchung*“, nullo certe modo fieri potest, quin idem quoque de crimine furti valuerit. Nec non opus est coniecturis, quum quae nobis videntur disertis verbis iuris civitatis Coloniensis anni 1437. art. 85. probentur. Locus hic est:

„*Straff vnd Poen das Niemand's dem anderen in sein Hauss oder Hoff steigen, noch brechen soll.*“
 „*Item wer dem anderen bey Nacht oder bey Tag in sein Hauss oder Hoff steigt, den mag man halten, biss an das Recht, vnd die Richter vnd Schaeffen sollen über jhn richten, als sich das dann erfind, gezimpt, vnd gebürt. Vnd wolte er vngehalten sein, vnnd in der manglung sich machte, das der jehner, der also eingebrochen oder gesteigen were, gewundt oder gelümmt worden, oder todt blibe, darumb soll der jehne, dem also in sein Hoff oder Hauss vnd Garten, gesteigen, oder gebrochen were, vnser Statt nicht verwürckt haben, noch keinen wandell, oder besserung thun der Statt, dem Gericht, noch niemand's anders.*“

Adhuc si recte statuimus, si quae ad domum pertinet area („*Hof*“), quum aliis in rebus, tum maxime si de crimine furti agitur, iisdem legibus eodemque, quo domus ipsa, iure gaudens putatur; aliis verbis, si et aliud quodvis et inprimis furti crimen eadem poena graviore afficitur, sive in area, sive intra domum commissum est: credamus oportet, eandem sententiam in constitutione quoque Carolina obtinuisse, eiusque verba „*Behausung oder*

Behaltung“ omnino nihil aliud significare posse, quam, ut supra contendimus, „*Haus oder Hof*.“

Quae quum dicta sint de significatione vocabuli „*Behaltung*“, id est, data nunc ad priorem quidem quaestionem nostram iusta, ut nobis videtur, responsione, iam ad alteram quoque quaestionem, quae est de ratione et causa legislativa, ob quam gravius in furta articulo 159. C. C. C. comprehensa animadvertatur, quasi respondisse videmur. Nam si bene tenuerimus, quae modo probata sunt, ultro, nec ulla alia probatione egentes, colligamus necesse est: Causa articuli 159. legislativa alia neque est, neque esse potest, quam violatio sanctitatis domus areaeque, sive in genere, turbatio illius pacis, quae hominum sedes tuetur.²⁷⁾

At si haec, quae disputatione adhuc effecta sunt, ad singularem illam, quam statim ab initio posuimus quaestionem, cui quam rectissime respondere totius huiusce disquisitionis propositum est, referamus, ad quaestionem scilicet, utrum dolio terebrato ex mente iuris criminalis Germanici antiquioris, ac praecipue ex mente articuli 159. C. C. C. furtum qualificatum per effracturam committatur, nobis distinguendum esse apparet. Nam si, id quod plerumque fieri solet, dolium intra domum, vel intra illa aedificia, quae ad domum pertinent, id est, ut exemplo utar, in propatulo aut cella ad domum pertinente, collocatum sit, certe non est cur negemus, fieri posse, ut furtum

²⁷⁾ Cf. iam etiam: Leyser, Meditationes ad Pandectas. Spec. 535. med. 10. „Articulus enim ille (Art. 159. C. C. C.) conservationem pacis ac securitatis domesticae spectat, et propter eam poenas tam graves sancit.“

qualificatum committatur; sive aliis verbis, posito hoc atque concesso, etiam in dolio pariter atque in quavis alia re, quae est in domo propatulo, eiusmodi furtum perpetratur. Sed hoc unum semper animo tenere debemus, si dolii terebratio ex constitutionis Carolinae sententia furtum qualificatum dicitur, id non ex ipsius dolii natura, sed ex loco potius, ubi dolium collocatum est, sequitur, sive, ut planius dicam, eodem modo, quo aliarum rerum, quae intra domum positae sunt, effractura reddit furtum qualificatum, eodemque etiam modo, eadem ex causa et ratione, ob turbationem scilicet pacis domesticae et ob securitatis domus violationem, effractura dolii pro furto qualificato censenda est. Contra vero si (id quod rarius accidere solet) dolium non intra, sed extra regionem domesticam, ideoque sanctitate ac pace domus munitum non sit, furtum in tali commissum nulla ratione qualificatum haberi potest.

Ne his diutius moremur, quaeramus nunc, quomodo res se habeat, si ius hodiernum spectetur, praecipue si ratio habeatur locorum iuris criminalis Bavarici supra commemoratorum, atque omnino cunctarum legislationum recentiorum? Cui quaestioni satisfieri nequit, nisi, ut iam supra dictum est, ante omnia vim verbi „*Behältniss*“ (receptaculum) rite constituerimus, deinde, hac re constituta, viderimus, quae tandem sit causa legislativa, cur secundum omnes codices recentiores furta talibus ex receptaculis perpetrata graviore poena afficienda ducantur.

Vocem „*Behältniss*“, „*Behälter*“ si ita interpretaris, ut sit locus, quo quid recipiatur, duplicem, ut iam nostra in causa iudices Bavarici rectissime viderunt, vim habet,

quo fit, ut, pro diverso, quod quis in utendis huiusmodi receptaculis habuit, consilio, diversa quoque sentiendi ratio efficiatur necesse est. Sensu vulgari ac latiore „*Behältniss*“ intelligitur subsidium, sive res externa, claustro ac clave munita, ad asservandum aut custodiendum aliquid, qua prohibetur, quominus quid aut damnum accipiat, aut omnino amittatur. At angustiore magisque peculiari sensu, „*Behältniss*“ est praesidium sive subsidium conservandi, quo quid defenditur et munitur, non tam ut ab aliorum impetu tutum reddatur, quam propterea, quod is, qui possidet rem ita munitam, ad usus futuros eam conservare, ideoque prohibere cupit, quominus pereat. Si quis hanc distinctionem subtiliorem quam veriorem dicat, magnopere erret. Disputat quidem contra Sartorius. Legem Bavaricam, inquit, subtiliorem illam distinctionem inter receptacula ad tutum reddendum aliquid, et ad simpliciter conservandum non nosse, ideoque regulae locum esse: Ubi lex non distinguit, ne iudicis quidem est distinguere, regula scilicet, quae quum in tota iurisprudencia, tum maxime in iure criminali, ubi strictissime semper interpretandum sit, obtinere debeat.

Sed primo quod attinet ad id, utrum leges criminales stricte sint interpretandae, an minus, id quidem hoc loco minime agitur. Quod si ageretur, nos quidem, quod vulgo dici solet de necessitate strictae istius interpretationis, falsissimum esse contenderemus, imo vero contrariam sententiam, etiam in legibus criminalibus valere idem, quod in omnibus aliis legibus valere videmus, defendere conaremur.²⁸⁾

²⁸⁾ Cf. etiam: *Jordan, über die Auslegung der Strafgesetze. (Landshut, 1818.) p. 23.*

Huius autem loci ea sola quaestio est, num leges criminales, sicut omnes reliquas leges, omnino interpretari liceat, quam quaestionem nemo, credo, facile reperietur, qui nostris temporibus in dubium vocare audeat. Si enim (id quod inter omnes convenit) minime ambigitur, leges plerumque impeditiores esse ac commode intelligi non posse, nisi iudici, in causis eas adhibituro, copia detur, certam quandam de earum vi opinionem sibi formandi, ex qua suam sententiam pronuntiet: hoc iudicis ius in criminalibus quoque legibus tanto magis valeat necesse est, quanto magis etiam in has cadere potest, quo vel optimae leges saepe laborant, quod mancae sunt et viliosae. Profecto igitur ea ratio, quae iudicem in ferenda sententia legum interpretatione uti vetat, eumque solis verbis duci iubet, perversa et totius iudicum muneris naturae contraria est. Omissa vero accuratiores huius quaestionis disceptatione, ad firmanda ea, quae modo protulimus, sufficiat Jordanum²⁹⁾ laudasse, cuius verba de legum criminalium interpretatione graviora et clariora sunt, quam quae non hoc potissimum loco exhibeantur. De discrepantia enim iudicis, qui ita, ut fas est, nobilissimum munus exercet, atque eius, qui machinae instar agit, haec dicit Jordanus: „Die Anwendung des Gesezes setzt Kenntniss desselben voraus, die aber nur durch Auslegung möglich wird. Das Recht zum Zwecke gibt auch das Recht zu den Mitteln; wenn daher der Gesetzgeber den Zweck, Anwendung der Geseze, verlangt, muss er auch dem Richter die Mittel gestatten, durch welche er denselben erreichen kann. Der Richter ist keine blosse Maschine, die mechanisch an dem Buchstaben

²⁹⁾ L. c. p. 26—28.

kleben soll, der immer für das Leben gefährlich wird; er muss vielmehr in den Geist eindringen, welchen der todte Buchstabe verhüllt; denn er steht dem Gesetzgeber zur Seite, um dessen ausgesprochenen Willen auf eine vernünftige, den Verhältnissen, und sohin auch der Absicht des Gesetzgebers entsprechende Weise zu vollziehen, und den ihn verkündenden Buchstaben gehörig zu deuten.“ — Quae quum ita sint, negandum

tamen non est, hac libera ingenii exercitatione, quae est iudicis in legibus, quarum cura ei commissa est, interpretandis, sive civilibus sive criminalibus, minime unquam abuti licere, suasque ipsius opiniones nunquam verae legis loco habendas esse. Interpretari leges non est pervertere et usurpare earum sententiam, sed aperire et illustrare.³⁰⁾

At, dices, utra duarum quam supra memoravimus significationum est vocabulo „Behältniss“ in codicibus hodiernis? num intelligendum est subsidium conservandi, an potius custodiendi? Satis ad hanc quaestionem, ut supra ostendimus, tum demum responderi poterit, quum inter omnes convenerit, qua tandem ratione codices nostri recentiores furtum per effracturam graviore poena afficiendum sibi esse duxerint, id est, qua potissimum ratione eiusmodi furtum in genere furtorum, quae vocantur qualificata, posuerint. Est autem hodie non eadem ratio atque in iure antiquiore, sanctitas nempe et inviolabilitas domus, sed discrimen, quod eiusmodi fur aliis affert, in eo inveniendum est, quod omnia, quae ei obii-ciuntur impedimenta, vincit ac superat; quo fit, ut vel summa cura, et quae a possessore ingeniosissime excogi-

³⁰⁾ Cf. etiam: Savigny, *System des heutigen Römischen Rechts*. Bd. I. (Berlin, 1840.) p. 206. seqq.

tata sunt, vana et inutilia reddantur. Quum igitur, ut ex superioribus intellectum est, constitutionis Carolinae tempore privatorum domus peculiari frueretur iuris tutela, haec ratio paulatim in desuetudinem abiit, vel, si qua vestigia, praeteritorum temporum quasi reliquiae, adhuc supersunt, violationem domus hodie prorsus alia ratione, quam antea solebat, intelligi constat. Nostro ex iure furtum in domo perpetratum non iam violatio ac turbatio pacis domesticae iudicatur, sed periculum ac discrimen rei familiari allatum in fure spectatur. Hoc ipsum atque audacia qua omnes removentur difficultates nefario facinori obiectae, causa putanda est, quae legislatorem permovit, ut factum graviore poena dignum conseret. Hoc omnes recentiores recentissimaeque singularum civitatum legislationes probe tenent, quarum complures diserte docent, ipsum esse furis studium ac discrimen ab eo allatum, quod efficiat, ut delictum qualificatum videatur.³¹⁾ Ac profecto magnopere probanda est haec ratio cogitanti, ubicunque, quae a nobis sunt ad tuendam rem familiarem instituta, insolentia, temeritate, audacia victa sint, ubi omnia cautionis genera adhibita eludantur, ibi publicam securitatem in discrimine versari, adeo ut legislator re vera cogatur, si tale quid inciderit, animum et maxime advertere et haud vulgarem poenam pronunciare.

Quod si constat, ex mente et ratione hodierni iuris causam, cur graviore poena in furtum per effracturam

³¹⁾ *Baier. Gesetzb. Art. 221. Nr. 4. — Oldenb. Gesetzb. Art. 226. — Würtemb. Gesetzb. Art. 327. — Hannov. Gesetzb. Art. 292. 296. — Hessen-Darmst. Gesetzb. Art. 371. — Baden. Gesetzb. Art. 382.*

animadvertatur, esse periculum ac discrimen tali facinore allatum, ne certissimis quidem cautionis generibus aver-tendum: hoc ipso efficitur et colligitur, quaestionem, num legis verbo „*Behältnisse*“ subsidia conservandi an custodiendi sint intelligenda, ita solvi debere, ut posteriorem sensum verum esse contendatur. Neque enim, nisi receptacula re vera subsidia sunt ad custodiendum, id est, tum demum, quum fur praesidia superarit ad tuendam rem familiarem disposita et instituta, quae impediunt quominus eiusmodi impetus fiant, dici potest, illum vel maxime periculosum se praestitisse. Contra, ubi receptacula conservandi dumtaxat causa sunt, sive, ubi res qualescunque non metu aliorum, sed ipsius possessoris gratia, non ut ab externa vi prohibeantur, sed ut ipsae conserventur, clausae sunt, et ex hoc tamquam claustro surripiuntur, non licet contendere, eum, qui tale quid commisit, in superandis quae obiiciebantur difficultatibus singulare periculum intulisse. Si quis libros armario clauso contentos, aperto hoc armario, furatur, is periculosus fur est, eiusdemque crimen qualificatum recte videtur, nam quum libri etiam extra armarium collocari possent, possessor eo, quod armario eos includi voluit, singulare cautionis genus adhibuit, neque tum armarium est subsidium conservandi, sed potius custodiendi. Contra qui aves, cavea inclusas, aperta hac cavea surripit, communis fur est, eiusque delictum simplici, quae furto irrogari solet, poena afficiendum est, quum necesse esset aves cavea includi, nec possessor ita faciens id egisset, ut a furibus sibi caveret: denique cavea non est custodiendi, sed conservandi subsidium.

Etenim si recte adhuc statuimus, verbum illud in locis legis Bavaricae quos attulimus, atque omnino in omnibus legislationibus nostris hodiernis³²⁾ obvium „*Behältnisse*“ eam solam vim habere, ut, si germanice loqui licet, „*Verwahrungsmittel*“, minime vero „*Aufbewahrungsmittel*“ intelligenda sint, perspicuum est, totam disceptionem nostram, utrum dolio terebrato furtum qualificatum per effracturam committatur, simpliciter ad hanc quaestionem redigi, utrum dolium „*Verwahrungsmittel*“ an potius „*Aufbewahrungsmittel*“ existimandum sit. Ad quam quidem quaestionem, cum iudicium Bavaricorum sententia illa saepius commemorata, respondendum esse praeefracte arbitramur, dolium, si vinum in eo contentum est, simpliciter asservandi, minime vero custodiendi subsidium putandum esse. Si quaeras, quibus argumentis hoc firmaturi simus, brevissime respondebimus, quum res planissima sit. Omnino enim necesse est vinum doliis asservetur, neque alius eius asservandi modus cogitari potest, nisi de industria fortassis pessum eum dare malueris. Iam vero primo adpectu si quis qualitatem dolii, cuius sub tegmine liquor quilibet condi solet, oculis perlustret, manifestum ei esse debet, plane aliter rem se habere, quam in aliis receptaculis, verbi gratia, in armario, risco: qui armario vel risco utitur in iisque res suas collocat, longe aliter sentit consiliumque habet dissimillimum ab eo, qui utitur dolio et in hoc vinum, oleum, acetum, alia id genus reponit. Vinum qui emit, dolia ad id ipsum parata eo implet, non ut impediatur, quominus alii furtim partem eius detrahant, sed id potissimum agit, ut a vi naturae

³²⁾ Cf. not. 31. pag. 18.

perniciosa, a frigore, calore, siccitate, aliis quam optime defendatur, hacque conditione perpetuo conservetur. Praeterea quum dolium ad asservandas alias res hominum usui inservientes, praeter liquores, parum idoneum sit, ipsum vinum, si modo id agis, ne ex conditione bona in contrariam abeat, dolio solo, nec ullo alio receptaculo servari potest. Itaque quod ad primarium illud possessoris consilium, ut vini substantia conservetur, accedit quasi secundarium consilium, ut simul a furtis tutum reddatur, minime priorem locum tenere, neque ab eo solo tota disquisitionis nostrae diiudicatio pendere debet.

Diversa quidem est Sartorii sententia, ita disserentis: „Dass der Wein blos nur, damit er gut erhalten werde, und nicht auch zugleich, damit er sicher sei, in Fässer gefüllt werde, lässt sich nicht behaupten. Vielmehr wird jeder Eigenthümer auch den letztgenannten Zweck dabei haben. Fässer, Krüge und Flaschen sind die einzigen gewöhnlichen Verwahrungsmittel für den Wein, und insbesondere, wenn ein Fass, wie hier, ohne Zapfen und Hahn, daher unzugänglicher, als ausserdem, ist, geschieht durch Anbohrung des Fasses gewiss ein Angriff auf die häusliche Sicherheit.“ — Sed fac huic alteri possessoris consilio, cuius momentum diximus esse nullum, vinum propterea doliis infundentis, ut a furibus tutum reddat, aliquid tribuendum esse, id ipsum consilium certe posthaberi ac prorsus negligen oportet, quum exempli gratia dolium extra domum, in propatulo ad quod omnibus liber est aditus, collocatum est. Quod si est, vix quisquam erit qui dolium per se spectatum, vel arcissime clausum atque munitum, sufficiens ac satis idoneum custodiendi subsidium credat, eo consilio constitutum, ut

fures vini prohibeantur, potiusque credendum est, praeter illud cellam quoque clausam requiri, quippe quae sit ea domicilii regio, in qua subsidia illa custodiendi condi soleant, si omnino id agitur, ut quum vinum e dolio est surreptum, crimen qualificatum statuatur. Omnino igitur furtum vini e dolio extra domum collocato, cuiusque adeundi copia data est, sive dolium terebratum, sive lamina effracta, sive tale quid factum est, ad genus furtorum simplicium referendum est.

Quodsi per errorem statuatur, dolium non tam subsidium esse conservandi, vini bonitatis tuendae causa, ac tamquam praesidium variarum iniuriarum ac damnorum quae extrinsecus possunt accidere, quam potius custodiendi, quo securitati domus prospiciatur, necessario, qui hoc sibi persuasit, ad opiniones absurdissimas maximeque portentosas deferatur oportet. Ipse Sartorius id intellexisse videtur. Qui enim cum hoc scriptore sentit, dolia, amphoras, lagenas, sola esse instrumenta, quibus homines uti soleant ad conservandum vinum, quibusque terebratis impetus in securitatem domesticam fiat, si ex iureconsultorum praeceptis sibi constare vult, hoc quoque concedere debet, urceo vel amphora disiecta, et effracto lagenae epistomio, securitatem domesticam in discrimen vocatam esse. Quae profecto ridicula, sed vera est conclusio ex eo, quod nobis Sartorius persuadere vult, hanc esse dolii, ideoque etiam urcei et lagenae naturam, ut quae iis contenta sunt, ab aliorum et furtis et iniuriis defendantur. At quamquam hoc sit vere conclusum, ad quod, qui huic sententiae favent, ultro deducantur, nihilo secius id recte se habere negat Sartorius, et exceptionem hoc

loco statuere velle videtur. Hoc enim Sartorius cum adversariis suis habet, ut dicat, si quis lagenam obsignatam effregerit vinumque ex ea furatus sit, hanc rem leviusculam minime furtum qualificatum sibi videri, magisque aptam eam sententiam esse, quae furem non solum vinum, sed lagenam una cum vino surripuisse, vinoque potitum lagenam reliquisse censeat. Ad firmandum autem id quod contendit, pro simplici, non pro qualificato furto habendum esse, si quis lagenam una cum vino furatus sit, excepto articulo 210. codicis Bavarici³³⁾ Sartorius nonnisi annotationibus legalibus ad hunc codicem nititur, ubi tom. II. pag 129. haec leguntur: „*Es ist daher kein gefährlicher Diebstahl, wenn der Dieb ein verschlossenes Behältniss entwendet, und dasselbe nach vollbrachter Entwendung mit Gewalt oder durch Dietriche geöffnet hat, um die darin verschlossenen Sachen herauszunehmen, weil der Diebstahl ohne Erbrechung schon durch die Hinwegnahme des verschlossenen Behältnisses vollendet, also die Erbrechung nicht das Mittel war, den Diebstahl selbst zu verüben.*“ — Sed quum in ea re, quam exempli causa finximus, epistomium lagenae obsignatae excussisse, omnino hoc semper consilio fit, ut remoto epistomio fur vinum lagena contentum, aut omne aut saltem ex parte, surripiat, illam vero in eo loco, quo furtum commissum est, relinquat, nihilo secius furtum qualificatum statuatur necesse est, quia hoc ipsum, subsidium custodiendi seu potius conservandi effre-

³³⁾ „Der Diebstahl ist vollendet, sobald der Dieb die Sache von ihrer Stelle hinweg zu sich genommen, oder sonst in seine Gewalt gebracht hat. Auch macht es keinen Unterschied, ob er die Sache für sich behalten oder an Andere veräußern wollte, ob er den davon beabsichtigten Genuss wirklich gezogen hat oder nicht.“

gisse, quod est dolium aut lagena, eo consilio factum est, ut furtum inde perficeretur.

Iam vero quae tota hac disputatione dicta sunt, breviter his verbis comprehendere possumus. Dolium, si vini quod eo continetur, imo si liquoris cuiusvis eo contenti ratio habetur, subsidium non est custodiendi, sed conservandi, quo fit, ut notio, qua leges nostrae vocabulum „Behältnisse“ accipiunt, minime in eo valeat. Eadem vero de causa furtum dolio terebrato commissum non qualificatum per effracturam videtur, sed pariter atque ex iure constitutionis criminalis Carolinae, quamquam ob rationem prorsus aliam, simplex tantummodo et commune. At si tamen is, qui crimen admisit, praeter terebrationem dolii alia culpa se obstrinxit, si exempli gratia cellae ianuam effregit, et hoc modo periculosum hominem se prae-buit, tum de furto quidem qualificato puniendus est, sed ob illius ianuæ effractionem, non ob dolii terebrationem.

THESES DEFENDENDAE.

1. Partus vitalis non requiritur, ut infans fiat iurium suorum particeps.
 2. Doctor iuris minor beneficium in integrum restitutionis non habet.
 3. Dies interpellat pro homine.
 4. Beneficium excussionis sive ordinis denegari non potest ei, quem „*Bürge und Zahler*“ vocamus.
 5. Iuris canonici axioma: „Qui tacet, consentire videtur,“ falsum est.
 6. Etiam secundum commune ius mercatorium Germanicum concursus socii totam tollit societatem.
 7. Maritus concursu afflictus, licet eius mundium perierit, usumfructum maritalem rei familiaris, quae est coniugi suae, non amittit.
 8. Ad poenam damnatus gratiam sibi concessam reicere nequit.
 9. Absolutio ab instantia e processu criminali tollenda est.
-

THESES DEPENDENDAE

1. Partes vultus non respirant in infans qui infans suorum
2. Doctor non minor pondus in infans testatorem non
3. Hic intellectus non hominis
4. Benedictus exequens sine ordinis honesti non potest ei
5. Hic intellectus non hominis
6. Hic intellectus non hominis
7. Hic intellectus non hominis
8. Hic intellectus non hominis
9. Hic intellectus non hominis

